





17  
AUSPICE TRINUNO NUMINE.

Exercitatio Academica,

De

ORTU & OC-

CASU SIDERUM POE-

TICO,

Quam,

Benevolo Amplissimi Collegii Philosophici

indultu,

In illustri Academia Leucorea

*Publica Eruditorum censura*

*subjiciunt,*

PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTO-

PHORUS *Adlung* /

Erffurtensis Thuringus,

&

RESPONDENS

HERMANNUS *Zogel* /

Leucopoli-Variscus.

*Ad diem 2. Martii in Auditorio Minori*

*horis antemerid.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.

M. DC. LXX.

VIRIS  
NOBILISSIMIS, PRÆCELLENTISSIMO, CLARIS-  
SIMIS ATQVE DOCTISSIMIS

DN. CONRADO SAMUELI Schurtz-  
fleisch / LIBERAL. ART. MAGISTRO CELE-  
BERRIMO, JURIUM CANDIDATO DI-  
GNISSIMO. ET

DN. JOHANNI AUGUSTO Wer-  
dermann / Misnensi.

DN. ANDREÆ Beyern / Dresdensi.

DN. CAROLO Wiedemann / Lipsiensi.

DN. HIERONYMO JACOBO à RYS-  
SEL, Lipsiensi.

DN. CHRISTIANO GOTHOFRE-  
DO, Jahn / Lipsiensi.

*In celeberrima VVittebergensi Academia LL. Studiosis*

**Dominis suis Patronis atq; Pro-  
motoribus**

hanc disputationem  
in sui recommendationem  
obsequiosus offert

*Respondens*

**Hermannus Vogel / Leucop.  
Varisc.**



//  
: שש

Cedrum sanè merentur Lyricorum antesignani canentis  
verba:

*Aut prodesse volunt, aut delectare Poëta,  
Aut simul & jucunda & idonea dicere vita.*

Quo quidem elogio, an verius quicquam pronunciari possit, merito ambigere possum. Etenim si spectemus in Poëtis commoditatem, ecquid illa eminentius? Cum sub illorum fabulis non levia quædam, & frugis expertia ociosorum hominum commenta (uti quidam perversi Poëseos osores arbitrati sunt, vid. Muret. in orat.) latitent, sed velut sub involucris atq; integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis deniq; sapientia contineatur. Ut non solum ad prudentiam moralem comparandam, seu componendos & emendandos mores, (quare cana etiam antiquitas, teste Strada, Poëtam labore suo humano generi prospicientem, modò castigatoriæ vitæ, sæpè morum Magistri, plerunq; Divini nomine insignire & cohonestare nō dubitavit,) sed & ad faciliorē & feliciorē reipublicæ conducant administrationem. Quod Venusinus ita expressit:

— — — Fuit hæc sapientia quondam,  
*Publica privatis secernere, sacra profanis,  
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis,  
Oppida moliri, leges incidere ligno,  
Sic honor, & nomen divinis vatibus, atq;  
Carminibus venit.*

Imò usum suum longè lateq; diffundunt in ipsam œconomiam,  
præcipuè tempora rebus agendis opportuna ac commoda desi-  
gnan-

gnando. Nec sua jucunditate destituitur utilitas, Poëta enim, ut ligatum suum sermonem orationis vestiunt concinnitate, non inamœno cum delinimento res suas interspergunt aliarum scientiarum documenta, ut vel aliorum emendantes scripta, Philologorum æmulentur crisin, vel exquisito sermonis genere legentem commoventes, Rhetorum assumant ornatum, vel ad enodandam veritatem solerter differentes Dialecticorum demonstrationes imitentur, vel de genuinis rerum natalibus ad penetralia naturæ ulterius rimanda canentes Physicorum scrutentur amœnitates, vel de negociis à variis variè, non minori cum laude cœptis, quàm fruge gestis, scribentes, historicorum lustrent campos, vel denique cœleste systema scrutantes, imò ex ipso Astronomiæ meditullio aliquid haurientes, Mathematicos agant. Sicut autem eorum, quæ ex Mathematicorum libris, præcipuè verò ex Astronomorum monumentis depromunt, non unum est genus; ita nil frequentius apud illos, quàm ortuum & occasum stellarum, ad determinanda & dimetienda certa anni tempora, periodosque menstruas designandas, mentio occurrit: Quæ res uti peculiari sua gaudet utilitate, ita pro ingenii nostri modulo eandem uberius enucleaturi, astrorum Dominum, impensis sollicitamus precibus, ut velle nostrum benignissima sui Spiritus assistentia clementer perficiat.



§. I.

**I**Nter complures affectiones Sphæricas, per circulos tum principales, tum minùs principales de subjecto Astronomiæ demonstrandas, non ultimum obtinet locum, sed in præcipuis Ortus, Occasusque siderum est: Non ideò solùm, quòd primo plerumque loco ab Astronomiæ scriptoribus tractatio ejus suscipi soleat; (id enim, cum prioritas ordinis per se non inferat dignitatem, ad prærogativam ejus, dignitatemque parum facit,) sed ex ea præprimis ratione, quia ex intervallo motus primi primario, circuloque primario, Horizonte videlicet, derivanda ac demonstranda venit. Cæterum ortus & occasus Stellarum  
vel

vel cum respectu ad Solem habito, vel absque eo considerati potest, atque ideo ab artificibus diversimodè denominatur. Ortus quidem & occasus absolutus à Sole, qui an Sol una, an è regione oriatur vel occidat, an in meridiano, aut alibi locorum in cœlo situs sit, non curat, Astronomicus; ille verò qui respectum etiam ad Solem involvit, Poëticus appellatur. Nos, ne disputatio nostra justos & præfixos excedat terminos, misso priori, eoque in commodius reservato tempus, posteriorem hac vice assumemus, succinctam ejus pro ingenii modulo explicationem allaturi.

§. 2. Dicitur autem ortus & occasus ille, qui ad Solem refertur & ab Achille Tatio in Isagog. ad Arati Phænomena, & Gemino in Elementis Astronomicis cap. xi. ἑπιτολή vocatur, sicut alter, absolutus nempe, & qui absque respectu ad Solem fit, iisdem ἀνατολή audit, ab Astronomis Poëticus, non quòd Astronomicum negligent, aut is ad Astronomos non pertineat; cum ipsorum maximè intersit, hos etiam ortus & occasus determinare sed uti absolutus ortus & occasus ob insignem, quem præ reliquorum modorum ortibus & occasibus in Astronomia habet usum, Astronomicus inde dicitur, ita hic ob usum, quem Poëtis in certorum temporum anni, vel variarum aëris constitutionum & similium rerum descriptionibus præstat, Poëtici nomen non immerito tulit. Ita nos docet summus seculi nostri Mathematicus Joh. Baptist. Ricciolus, quando Tom 1. Almag. Nov. lib 1. c. 32. rem ad hunc modum explicat; *Poëticus ortus & occasus ita dictus est, non quòd hunc quoque Astronomi non curent, sed quia de hoc solum Poëta jam inde ab Hesiodo locuti sunt, cum fastos & tempestates agricultura & navigationi opportunas, aut his similia nobis per ortus siderum carminibus designarunt.* Neque tamen putandum est, solis Poëtis in temporibus anniversariis describendis hunc ortum & occasum usitatum esse vel fuisse. Nam & Historicis, & de Agricultura ac re rustica Scriptoribus, aliisque usitata prorsus ascensio ista ac descensio siderum fuit. Ita Polybius lib. 1. navigationem Romanorum ex Sicilia in Africam inter ortum Orionis & Canis Heliacum (de hoc ortu enim locutum eum ibi esse, inde constat, quòd navigatio illa Romanensium, ut ex contextu facile

colligitur, sub initium æstatis suscepta sit, sub finem autem veris & initium æstatis, Sole ex II ad ☿ accedente, totus Orion, & paulò post ad finem eo ☿ perveniente, Canis quoq; major à radiis Solaribus iterum liber, manè rursus conspicitur) susceptam improbat, quòd istis temporibus multis Mare tempestatibus obnoxium sit. Ita idem *Polybius l. 5. & Livius lib. 1. decad. 3.* transitum Hannibalis in Italiam occasu Cosmico Plejadù determinarunt. Ita *Columella lib. 9. c. 14* de cura apum, *Aristoteles lib. 6* de nat. Animal. *Plinius* pluribus in locis, aliique Historici plures ortu & occasu Poëtico sua definiunt tempora. Unde, quod paulo antè diximus, jam patescit, non solis hunc ortuum & occasuum modum Poëtis, sed aliis etiam Scriptoribus, usitatum fuisse, utut à potiori, quia scil. quàm maximè & frequentissimè à Poëtis usurpatus semper fuit, Poëtici denominationem acceperit.

§. 3. Definitur hic Ortus & Occasus ab Astronomis communiter, quòd sit vel elevatio, vel apparitio, vel descensus, vel occultatio stellæ supra vel infra Horizontem, ad Solem determinata. Verùm quia hæc enunciatio, conceptum genericum sub disjunctione proponēs, atq; hac ratione divisionem potius, quàm accuratam definitionem tradens, in conditiones bonæ definitionis impingit, illam jure merito rejicimus. Uti nec eorum acceptamus definitionem, qui ita describunt: quòd sit astri sive stellæ relatio quædam ad Solem, unà vel ex adverso orientem, vel occidentem, quippe quæ non omnibus, ut de aliis ejus vitiis nihil nunc dicamus, speciebus suis communis, adeoq; quod ingens in definitione, quæ, juxta Logicorū monita, cū definito suo æqualiter cōverti, nec plus minusve eo continere debet, vitium est, strictior est definito. Licet enim, quod libenter concedimus, ob diversitatem atq; varietatem specierum ortus & occasus Poëtici, unam quandam communem commodo quopiam latiori vocabulo assignare rationem, in qua omnes illæ conveniant, difficile sit, unde difficultatem hanc subodorati, generalem ortus atq; occasus Poëtici definitionem silentio prætereundo, species saltem ejus quidam definiverunt: non tamen id impossi-



possibile prorsus est. Longè enim melius eundem cum accuratioribus Mathematicis ita describimus: Ortus & Occasus Poëticus est apparitio, vel disparitio stellæ, ad Solem relata. Sic unico isto apparitionis, respectu Ortus. & disparitionis, respectu occasus Poëticus vocabulo communem rationem, in qua ortus & occasus Poëticus species omnes optimè conveniunt, exprimimus, per apparitionem stellæ non emersionem saltem ejusdem è radiis Solaribus, & contrà per disparitionem ejusdem in fulgorem Solis involutionem, quod, ut inferius audiemus, ortus & occasus Heliaci proprium est, intelligentes, sed cæteros etiam modos, quibus ad Solem relata stellæ (sub hoc enim formali unice per superius dicta, Ortus & Occasus hîc intelligendus est) se vel unà cum Sole, vel eo è regione descendente, supra Horizontem ascendentes, sistunt: vel infra Horizontem, sive comite Sole, sive è regione oriente, descendentes, subducunt oculis nostris, simul ita comprehendentes.

§. 4. Ex his etiam liquet, cur honoratissimorum Præceptorum vestigia legentes, quæ frequenter aliàs definitioni huic inferi solent, verba illa: supra vel infra Horizontem, omiserimus, & non ita potius formaverimus nostram definitionem: Ortus & Occasus Poëticus est apparitio stellæ supra Horizontem, vel disparitio ejus infra Horizontem, ad solem relata. Scilicet de industria id à nobis factum est, cum verba illa partim falsò, partim abundanter in definitione hac ponerentur. Falsò, habita ratione ortus & occasus Heliaci, quo sidus oriturum tantum abest, ut, ceu subsequenter nos edocebunt, supra Horizontem demum ascendere, aut occasurum infra eundem statim descendere debeat, ut potius, tam ortus, quam occasus, sidere supra Horizontem versante, contingat. Heliacè enim orientes vel occidentes Stellæ, supra Horizontem existunt: adeoq; non tam re ipsa oriuntur & occidunt, quam ortæ apparent, vel apparere desinunt. Abundarent autem verba illa, ortum & occasum tam Cosmicum, quam Acronyctum si respiceremus, cum adscensio supra Horizontem apparitionis, & descensio infra Horizontem disparitionis vocabulo inter alios ejus modos jam contineretur.

§. 4. Ex

§. 5. Cæterùm in definitione apparitionem & disparitionem, ceu conceptum essentialem latiore & omnibus ac singulis ortus atq; occasus Poëtici speciebus, secundum jam disputata, communem, generis loco posuimus, ac Stellæ vocabulum absolutè & illimitatè adiecimus ut omnes omninò stellas, siue fixæ eæ sint, siue erraticæ, secus atq; se res in speciebus habet, Poëticè oriri aut occidere posse, indicaremus. Differentiam a., quæ ortus & occasus Poëticus in esse suo constituitur, & Astronomico contradistinguitur, exprimunt subsequètia definitionis verba: ad Solè relata. Per hæc n. nō ortui & occasui merè Horizontali, qui supra Horizontem ascendentes stellas oriri, uti infra eundem depressos occidere simpliciter & absolutè dicit, nec respectum ad alia cœli puncta in Horizonte vel coorienta & cooccidentia, vel propè Horizontem alias stellas sub fulgore radiorum suorum detinentia, aut ex iisdem emittentia involvit; sed etiam relativè, in relatione scilicet ad æquatorè, spectato, què etiã Astronomicū dicim9, in quo nō ad Solè, verùm ad partes potiùs æquatoris coascendentes & unà descendentes unicè respicimus, satis superq; contradistinguitur & in esse suo constituitur. Quippe à sola relatione siderum ad Solem, quam Agriculturæ scriptores & Poëtæ imprimis in temporibus anniversariis describendis respiciebant, altera illa ortus & occasus species suam traxit originem, ut proinde superius allatam definitionem omnes ortus & occasus Poëtici species participare debeant. Equidem contrarium hic Magnif. Dn. D. Calovius in Compend. Uranoscop. cum Metio p. 73. sustinere videtur, ortum & occubitum Poëticum vel ad Horizontem, vel ad radios Solis referens, illumq; Cosmicè atq; Acronycè; hos verò Heliacè orientes vel occidentes stellas respicere asseverans. Sed videtur, revera tamen neutiquam nobis contrariatur aut contradicit. Apparitio enim & disparitio stellæ non solam h. l. egressionem ex radiis, vel ingressionem in radios Solis, sed unà cæteros modos, quò stellæ, ad solem collatæ se, vel sistunt vel subducunt visui nostro comprehendit. Quo pacto omnes §. subsequ. commemorandæ species ortus atq; occasus Poëtici, de data definitione participant.

§. 6. Uti verò non uno eodemq; modo sidus aliquod occultari atq; iterum emergere potest: ita etiam ortus atq; occasus noster

noſter Poëtico à variis variè dividitur. *Theophrast. lib. de ſign. pluvi.*  
 duos ortus duosq; occaſus tantùm cōmemorat. Totidē, ſed veros  
 tantùm ortus & occaſus attingit *Achilles Tatiuſ: Geminuſ* quatuor  
 ortuſ ſpecies & totidem occaſuſ facit. *Prolemauſ lib. 8. Μεγάλη*  
*συντάξις c. 4. Joh. Regiomontanuſ in Epit. l. 8. c. 5.* viginti quatuor or-  
 tuſ & occaſuſ ſpecies ſub novem Schematiſmiſ proponunt. vid.  
 recenſ. *Casp. Peuceſeruſ in Element. Sphar.* & uberiuſ declarantem  
*Joh. Baptiſt. Riccioluſ Tom. 1. Almag. Nov.* Noſ laudatiſſimorum  
 Præceptorū veſtigiiſ inſiſtenteſ, pro triplici varietate, quā ſtel-  
 læ reſpectu ſoliſ orientiſ vel occidentiſ, vel etiam certo inter-  
 vallo accedentiſ vel recedentiſ ſortiuntur, triplicem etiam or-  
 tuſ & occaſuſ ſiderum conſtituimur, Coſmicuſ nimiruſ ſeu  
 Matutinū, Acronyctū ſeu veſpertiū, & deniq; Heliacuſ, quem  
 denuò in Matutinū & veſpertiū ſubdividiſ. Quorū prio-  
 reſ duo à priſciſ Mathematiciſ non abs re veri nominati ſunt,  
 quoniā ſtellæ Coſmicè & Acronyctè orienteſ vel occidēteſ ſupra  
 Horizontē revera aſcendunt, vel infra eundem deſcendunt: Po-  
 ſterior cum ſuiſ ſpeciebuſ apparent, quia ſtellæ heliacè, ſive id  
 fiat matutino tempore ſive veſpertino orienteſ vel occidenteſ,  
 non tam reiſ ſeipſa oriuntur & occidunt, quā ortæ apparent vel  
 apparere deſinunt. Unde & à nonnulliſ φαſiſ ſeu emerſio po-  
 tiuſ, quā ortuſ, & κρύψιſ ſeu occultatio, vel ἀφανιſμοſ ſeu  
 diſparentia, quā occaſuſ dicitur.

§. 7. Ortum, quem, ſive quòd Munduſ, cujuſ eā tantùm par-  
 tem, quæ ſupra Horizontem eſt, conſpicimur, ab ortu in occa-  
 ſuſ labi videatur, ſive quòd ſtella cum Sole oriente vita velut  
 atq; ornatuſ Mundo redeat, & Munduſ matutino tempore quaſi  
 reviviſcat, ſuaſq; de novo actioneſ iterum incipiat, Coſmicuſ  
 vel Mundanuſ hodie dicimur, Veteres, quibuſ appellationeſ  
 hodiernæ nondum fuerunt uſitate, matutinū verū nomina-  
 bant. Ortum enim & occaſuſ Poëticuſ in verū & apparen-  
 tem, ac utruſq; in matutinū & veſpertiū diſpeſcebant, ve-  
 rum, ut dixi, matutinū, quem hodie Coſmicuſ, & verū  
 veſpertiū, quem Acronyctū; apparentem autem dicenteſ  
 tam matutinū, quā veſpertiū, quem Heliacuſ hodie  
 communi Aſtronomorum voce denotamur. *Gemino & Tatio*

B

σπιλο

*ἑπιτολή ἑώα ἀληθινή*, Ptolomæo autem *ἑώα συνανατολή ἀληθινή*  
 audit. Definitur autem à nobis, quòd sit puncti cœlestis seu  
 stellæ unà cum Sole oriente supra Horizontem ascensio. Ex qua  
 definitione, nos non de ortu Solis Cosmico generaliter & latè sic  
 dicto, quo omnes stellæ; quæ ab ortu Solis usq; ad ejus occasum h. e.  
 de die artificiali supra Horizontem emergunt, Cosmicè oriri vulgo  
 dicuntur, sed specialiter, strictè & anonomasticè sumto, prout  
 illis duntaxat sideribus, quæ una cum Sole super Finitorem ascen-  
 dunt, competit, hinc loqui, abundè constat. Manifestum præ-  
 terea ex ortus Cosmici definitione est, quænam stellæ motu hoc  
 oriri, quæ non possint. Scilicet in obliquo, quem habemus,  
 Sphæræ positu præter perpetuæ apparitionis stellas, omnia tam  
 fixa, quàm erratica sidera, quæ Planetas alio nomine dicimus,  
 Cosmicè oriri queunt. Cùm enim Sol motu suo annuo per to-  
 tum moveatur Zodiacum, omnia cœli puncta successivè hoc  
 modo oriri posse, hinc consequitur.

§. 8. Cognito, quid Cosmicus sit ortus, non difficile, o-  
 pinor, erit, occasus quid Cosmicus sit, colligere. Nempe oc-  
 casum Cosmicum dicunt Astronomi, stellæ oriente Sole ex ad-  
 verso infra Horizontem descensionem. Quoniam igitur, se-  
 cundum hanc definitionem nostram, ad id, ut punctum  
 cœleste occasu Cosmico, qui Gemino & Tatio *δύο ἑώα ἀ-*  
*ληθινή*, at Ptolomæo *ἑώα συγκατάδυσις ἀληθινή* dicitur, occidere  
 queat, requiritur, ut eo, quo Sol Horizontem ascendit tem-  
 pore, ex adverso infra Horizontem descendat, atque a deo in-  
 tegro Semicirculo sive per 180. gr. à Sole distet, non obscurum  
 erit, quæ Stellæ Cosmicè occidere possint, quæ non, assignare.  
 Cùm enim, quas perpetuæ apparitionis occultationisve dici-  
 mus stellas, infra Finitorem nunquam vel descendant, vel su-  
 pra eundem ascendant, loquendo de obliqua nostra Sphæra, vel  
 Davo constabit, occasum illis Cosmicum attribui non posse.  
 At non solum istæ ab occasu excipiendæ stellæ sunt, verùm &  $\varphi$   
 nec non  $\varphi$ , ob breve, quo à  $\odot$  distant intervallum, is repu-  
 gnat. Deprehenderunt enim Mathematici, referente Dno. D.  
 Strauchio in Aph. Sphær. §. 196. Maximam  $\varphi$  à  $\odot$  di-  
 gressionem 48. gr.  $\varphi$  autem 28. non excedere, cùm ta-  
 men, ceu dictum, ad occasum Cosmicum stellæ à Sole per  
 inte-

integrum semicirculum distantia requiratur. Alias autem præter enumeratas stellas omnes, quæ infra Horizontem descendere, & à ☉ per 180. gr. digredi possunt, successivè ita occidere, ex institutione Venerandorum Dnn. Præceptorum persuasi sumus.

§ 9. Ortum & Occasum Cosmicum, altera Ortus & occasus Poëtici species vera, Ortus & occasus sc. Acronychus, quem imperitiores nonnulli cum Sacrobusto Chronicum seu temporalem dicunt, justo nunc ordine excipit. De ortu hîc Acronycto, ἀπὸ τοῦ ἀρχῆ τῆς νυκτὸς h. e. à primo noctis termino ita dicto, circa quem contingit, priùs agemus. Definiri autem communiter is solet, quòd sit ascensio stellæ vespertina, ☉ è regione descendente. Cæterum ortus hic, quem Geminus ἐπιτολήν ἐπερίαν ἀληθινὴν: Ptolemæus ἐσπείαν ὑνανατολήν ἀληθινὴν: Theophrastus ἀνατολήν ἀκρῆνυχον dixere, quibus conveniat stellis, ex ipsa definitione colligere datur. Excluduntur enim ab Ortus hoc, præter stellas perpetuæ apparitionis & occultationis, etiam, ob exiguam à ☉ digressionem, ♀ & ☿, vel, ut optimè Excellent. Dn. D. Strauchius l. c. observat, eadem sidera, quibus occasus Cosmicus repugnat. Hinc noti isti versiculi originem traxerunt:

Cosmicè descendit signum, quod Chronycè surgit;

Chronicè descendit signum, quod Cosmicè surgit.

Qui tamen, non de identitate temporis, sed a pritudine, in stellis præsertim longius ab Ecliptica remotis, ad participationem de harum specierum ortu atque occasu sunt intelligendi. Non enim eodem tempore omnes stellæ, quæ manè cum ☉ oriuntur Cosmicè, vesperi cum ☉ Chronycè occidunt: nec, quæ vesperi, ☉ oriente, Cosmicè occidunt, Chronycè semper vesperi occidente ☉ oriuntur. Imò Boreales post ☉, Australes ante ☉ nobis occidunt. Interim tamen omnes stellæ, quæ Cosmicè oriri possunt, etiam chronicè possunt occidere & quæ Cosmicè occidere possunt, illæ etiam chronicè possunt oriri. Conf. præter Dn. D. Strauchium in *Aph. Sphæ. S. 199. p. m. 72. Scultetum p. 42.*

§. 10. Explicata ortus Acronycti definitione, meritò nunc occasus quoq; Acronycti specialiter sic dicti, qui Gemino

& Tatio  $\delta\upsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma \acute{\epsilon}\sigma\tau\omega\epsilon\rho\acute{\iota}\alpha\varsigma \alpha\lambda\eta\theta\iota\nu\eta\varsigma$ , at Ptolemaeo  $\acute{\epsilon}\sigma\tau\omega\epsilon\rho\acute{\iota}\alpha\varsigma \sigma\upsilon\gamma\kappa\alpha\tau\alpha\delta\upsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma \alpha\lambda\eta\theta\iota\nu\eta\varsigma$ , Theophrasto autem  $\alpha\phi\alpha\nu\iota\sigma\mu\acute{\epsilon}\delta \delta\upsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$  nomine venit, succinctam, ne justos transiliamus limites, subjungimus explicationem. Eum autem describimus, quòd sit puncti cœlestis unà cum  $\odot$ e infra Horizontem descensio, ut exulent à definitione hac istæ stellæ, quæ toto illo tempore, quo sub Horizonte Sol commoratur, sub horizontem descendunt. Quare omnes, quæ interdum apparent, interdum non apparent stellæ, Acronycè occiderè possunt. Speciàtim notandum, quòd iis in stellis, quæ vel in ipsa Ecliptica hærent, vel non longè ab ea remotæ sunt, ortus Cosmicus cum occasu Acronycho permutatur. Talis enim aliqua stella, quæ manè Cosmicè oritur, vespere Acronycè occidit. Obiter de occasu hoc Acronycho, antequam ad alia abeamus, monemus, quòd licet Ricciolus eum unà cum ortu Cosmico non observabilem, nec ad distingvendatempora agricolendi, medendi, navigandi utilem censeat, & si Plinius aliq̄ue tempora per ortus & occasus siderum inconspicuos distingvant fortè, id, ut abstrusas & Astrologicas tempestatum causas indicent, facere, persuasus sit, is tamen omni utilitate sua in veterum intelligendis scriptis non careat, cum vel ipso Ricciolo fatente, non minus hi ortus & occasus, quàm cæteri frequenter ab Autoribus in descriptione temporum adhibeantur.

§. II. Ab ortu & occasu Poëtico vero ad apparentem sive Heliacum explicandum tendimus, quem apparentem ideò dixerunt Astronomi, quòd licet sidus verè non descendat aut ascendat Horizontaliter, à Solis tamen radiis vicinis aut liberari aut occultari incipiat, ideoque appareat oriri aut occidere, cum illius visioni non amplius radii obsint Solis vicini: Heliacum autem eundem vocarunt  $\alpha\pi\omicron\delta\tau\grave{\eta}\varsigma \eta\lambda\acute{\iota}\alpha\varsigma$  à Sole, quoniã stellis præcipuè convenit in respectu ad radios  $\odot$ is. Cum enim Sol insigni suo splendore stellas illas, ad quas tq̄. velocior Planeta accedit, vel quæ ob majorem velocitatem perveniunt ad ipsum, condat involvatq̄; ita, ut nusquam appareant, accedendo autem tardiores post se relinquat, ac velociores suis è radiis emittat, ut, cum latuerint antea, nunc conspectui iterum nostro sistantur: ideo

ideò oriri quædam, aliæ occidere, ortu occasuq; Heliaco dicuntur. Est autem ortus Heliacus, isq; matutinus, stellæ è radiis Solis jamjam orituri emerfio, primaq; apparitio, quo pacto tum ab ortu stellarum Heliaco plasticè ita dicto, quo omnes istæ oriri stellæ dicuntur, quæ præsentis ☉ radiis tectæ latuerunt, discedente autem ☉ sub Horizontem, conspiciuntur; quomodo quotidiana stellæ oriuntur, quæ post ☉ occasum, nocte ingruente, supra Horizontem jam existentes visu deprehenduntur: tum ab ortu stellarum Heliaco generali & à matutino & vespertino præscindente, tum deniq; ab ortu Heliaco vespertino, paulo post declarando, abunde distingvitur, & iis solummodo, quæ manè nimium ☉ fulgorem, ipsas antea obfuscantem, effugiunt, appropriari potest stellis. Quales sunt tum omnes fixæ, tum ♃, ♄, ♀, ♁ & verbo omnes illæ, quæ Sole quoad apparentem motum in longitudinem, vel tardiores sunt, vel saltem tardiores quandoq; esse possunt, ne duo inferiores ♀ & ♁ excludantur. Has n. licet ob nimiam suam propinquitatem tegat interdum Sol, ob majorem tamen ejus, motu suo Orientem versus recedentis, velocitatem, mane relictæ & in, iusta ab ipso remota distantia, iterum cernuntur.

§ 12. Justam à ☉ requiri distantiam, quo sidera, Solaribus radiis immixta, sese ex iis evolvere & ab hominum in Terra, ceu observatorio quodam constitutorum, oculis usurpari possint §. præced. diximus. Cùm enim lumen majus minus obfiscare tam notum sit, quàm quod notissimum, ultro liquet, certam corporis minoris lucidi à majore requiri remotionem, si lumen ipsius distinctè cognoscere velimus. Quantam autem distantiam illam stellarum, & quantum arcum visionis seu fulsionis, sub quo, non obstante fulgore ☉, videri à nobis queant, esse oporteat, unanimi consensu Mathematicorum docent filii, eam non unam eandemq; ratione omnium stellarum & omni tempore; sed pro diversa stellarum vel magnitudine vel latitudine, pro diversa etiam aëris dispositione, & vaporum Horizontalium multitudine tam variam ac diversam esse, ut quantitas istius arcus fulsionis, seu intervalli distantie ☉ à stella, ut conspici queat, accuratè vix definiri ac certò determinari queat. Ne tamen nihil

hic dixisse, & litē, quod dicitur, sub iudice reliquisse viderentur Mathematici, quantum in ipsis erat, nobis de intricata & dubia hac re comunicarunt, quod scilicet pro stellarum & lucis, qua fulgent, magnitudine, talis & tanta sub Horizonte depressio, si stellarum lumen fulgore suo non abscondere debeat, requiratur, ut, si stella primi honoris seu magnitudinis fuerit, arcus iste, docentibus id observationibus, 12. graduū, si secundæ 13, si tertiæ 14. & sic deinceps pro minori stellæ magnitudine major semper arcus pro majori minor sit oporteat. Qua de re si specialiora præsertim pro Planetis desideres, adire potes Mathematicos, Joh. Baptist. Ricciolum, Casp. Peucerum, Clavium, B. Nottmagelium, Excell. Dn. D. Strauchium, aliosque quamplures, qui te rationem quoque arcum hunc supputandi perspicue edocebunt.

§. 13. Viso, quid ortus heliacus matutinus sit, de facili etiam hinc, quid occasus heliacus matutinus sit, cognoscere datur, quod nimirum is prima sideris sub radiis  $\odot$  is, jamjam orituri occultatio sit. Et uti ortus heliacus matutinus iis modo tribuebatur à nobis stellis, quæ  $\odot$  e vel tardiores sunt, vel esse aliquando possunt, ita contra heliacè mane occidunt ea solum cœlestia puncta, quæ Sole velociora sunt. Unde sponte sua consequitur, fixas cum tribus superioribus erraticis stellis nunquam heliacè, ceu longè tardiores Sole, occidere mane posse, solisque inferioribus,  $\Delta$  &  $\eta$  quæ tunc Lucifer dicitur &  $\zeta$  occasum hunc convenire. Et posteribus quidem duobus non semper, sed interdum solummodo, quando scilicet cursu veloces sunt (quod contingit, quando in superioribus Epicyclorum partibus versantur) potest competere. Ubi per occasum Heliacū matutinū non eū intelligi, cum stellæ quæ prius ante exortum  $\odot$  is conspiciebantur mane, propter  $\odot$  is accessū radiis Solaribus involvuntur & occultantur, ut tēpore matutino amplius conspici non possint, quilibet videt. Ita n. non fixæ solum omnes supra Horizontē cōmorantes, sed etiā superiores Planetæ Sole exorto ex oculis hominū evanescere & ita quæ occidere possunt. Quemadmodū a. certā requirit Solis infra Horizontem distantiam, ut stella aliqua in aurora à nobis conspici possit §. præced. asseruimus; ita non minus hic certum quodpiam adesse intervallum debet, intra quod constitutus Sol condere & obscurare valeat stellas, quod itidē pro vaporum Ho-

rizon



rizontalium multitudine & inæquali stellarum ab Ecliptica remotione admodum variat. Stellæ enim longius à via ☉ seu Ecliptica distitæ tardius occultantur, & citius ex radiis emergunt, quàm quæ in ipsa Ecliptica hærent, vel prope eam consistunt.

§.14. Devenimus tandem ad ultimam ortus & occasus Poëtici speciem, ad ortum & occasum Heliacum vespertinum, quæ, cum portum videamus, paucis absoluturi sumus. Est autem, ut hinc initium faciamus, ortus Heliacus vespertinus prima stellæ paulò post ☉ occasum apparitio, & ex radiis ejus egressio, sive, ut aliis placet, stellæ è radiis solaribus emergētis vespere supra Horizontem in occidentis cardine post Solis occasum apparitio, uti è contrario occasus Heliacus vespertinus dicitur prima stellæ sub radiis ☉ jam jam occidentis occultatio. Quando nimirum stella, quæ paulo ante adhuc sub occasum ☉ supra Horizontem conspiciebatur, propter ☉ accessum seu vicinitatem majorem in parte occidentali jam radiis Solaribus obfuscatur, ut conspici à nobis amplius non possit. Qui occasus, ratione motus ☉ proprii fieri solitus, aliquot diebus occasum præcedit acronyctum. Occidit enim prima die stella, Sole jam multum infra Horizontem delato; aliquot diebus post, stella, Horizontem iterum tenēs occidentalem, non amplius cernitur ob vicinitatem ☉, interim aliquousq; ab occasu versus ortum motu proprio progressi, sed radiis Solaribus obfuscatur; quæ obfuscatio, tēpore si cōtingat vespertino, occasus heliacus, isq; vespertinus appellatur, tandem post elapsos aliquot dies sequitur occasus Acronyctus. Cæterum ortus Heliacus vespertinus soli ♀ & ☿, nec non ♃, quam studiosè admodum Judæi olim observare solebant, occasus n. omnibus stellis, quæ Sole tardiores sunt, attribui potest. De hisce ortus & occasus Poëtici speciebus omnibus ac singulis non inelegantes apud Joh. Baptist. Ricciol. occurrunt versus memoriales, quos, quia eorum, quæ prolixè hætenus differuimus, ἀνακεφαλαιο ☉ is qs. sunt, huc adscribere non pigrabimur: Sunt autem hi:

*Veros*

*Veros mane ortus, occasus vespere veros  
Temporibus subeunt sidera quæq; suis.  
Veros nec mane occasus, nec vespere ortus  
Concessit Veneri, Mercuriove Deus.  
Heliaco tum manè ortu, tum vespere casu  
Sola inter cœli sidera Luna caret.  
Heliacos mane occasus, ac vespere ortus  
Tantum Luna, Venus, Mercuriusq; tenent.*

S. D. G.



**Ad Dn. Respondentem, Amicum  
meum.**


**O**rtus & Occasus sunt nostræ dogmata Sphæra,  
Quam tibi doctrinam diæ Mathesis agit.  
Tu rectè discis juris studiosus & heres,  
Orum stellarum, stelliferamq; domum.  
Nam cuius prodest divinam scire Mathesin,  
Cum præsens studium commoda mille ferat.

**Michaël VVendelerus, D. P. P. &  
p. t. Facultatis Philosophicæ De-  
canus,**

Nov. 2000 <sup>8d.</sup>







B.I.G.

Farbkarte #13



17

...O NUMINE.  
...cademica,

& O C  
...UM POE-

...legii Philosophici

...ia Leucorea

...um censura

...S

CHRISTO.

Waldung /

...uringus,

...NS

Zogel /

...riscus.

...ditorio Minori

...rid.

...GÆ,

...S HAKEN.

...XX.

